

Factus : quid infames clitellas ? quid magis
 Patior hoc turpi macerari in stabulo
 Ignotus omnibus ? quid nemus adire moror
 Me ubi meis captæ leporibus regem
 Feræ omnes una voce clamabunt suum :
 Sic equidem , sic juvat : hæc ait & patrio
 Præsepe relicto sublimia sibi fingens
 Intravit in nemus indomiti quando lupi
 Cives veteris Silvæ irruere & improbum
 Dilaceraverunt regna meditantem nova
 Qui moriens , meritò ait , merito pector , quia
 Tibicen optavi fieri , cum asinus essem .

B E N E D I C T U S S T A Y

Ragusinus

I N T E R A R C A D E S

A R E T A S E P I D A U R E N S I S .



*Excerpta quædam ex ejus Poemate
Philosophico .*

PRincipio globus hic , Tellurem quem vocitamus ,
 Et maria , & terras ingenti amplectitur orbe .
 Qua tamen in terras spatiis extenditur amplis ,
 In partes multi scissum voluere quaternas ;
 Nos unam incolimus , quæ nunc vetus Orbis habetur ;
 Quandoquidem priscis fuit haud incognita sæclis .
 Altera Terræ pars est America , suumque
 Nomen ab Etrusco retulit modo cognita Tiphy .
 Laudamus veterem grajo sub Jasone pubem ,
 Quam freta tentantem prius usquè impervia puppis
 Transtulit Argolica de terra ad Colchidos oras ,
 Deinde via preium referentem velleris aurum :